

1482
*Via per pa-
 ludes in
 hosticum
 commu-
 nita.*

quæ diem illum secuta est , Antonius Marcianus , homo multi nominis , cum trecentis agrestibus cœpit viam ad traducendas copias non longe a Casalone stagnis commu-
 nire . Nihil ea nocte ab opere cessatum : stabant illi , qui viam muniebant , ad latera usque aquis limoque demer-
 si ; ubi vero illuxit , nec dum opus ad exitum spectaret , Severinas Lauretanusque , qui ad tertiam diei horam af-
 fuerant , non ignari in quanto discrimine illorum vita esset , qui in hostium fines transierant , confestim ex cir-
 cumjectis locis omnis generis & ætatis agrestes ad id opus accersunt ; mille per reliquum diei & noctem quæ secu-
 ta est , ibi operatos quidam memorant , alii longe plures ajunt . Sed quantacunque fuit illa manus , satis constat , postridie illius diei , quo plures operarios ex proximo ac-
 citos diximus , tertia lucis hora ad Tartari ripam per-
 ventum : ubi vero illi , qui adversam ripam præsidio te-
 nebant , in conspectu fuere , mox , ponte flumini im-
 posito , unicuique licuit in hostile solum exire . Viam quatuor & viginti stadiis stagno communitam , a multi-
 tudine fascium , ex qua fere materia opus constitit , *Fascinatam* castrensi verbo dixere : citra Tartarum non
 procul ab ipso ponte locus munitus est , præsidioque fir-
 matus , ut citro ultroque commeandi facultas omnibus libera esset . Traductæ eodem die in Mellarianos fines co-
 piæ , quæ quantæ fuerint , parum inter eos qui rebus in-
 terfuerunt , constare video : quidam viginti millia fuisse
 memorant , alii numerum longe extenuant : sed quantæ-
 cunque fuerint , cum his Severinas Mellariam , quæ in
 Padi ripa est , adortus , primo fere impetu hostium mu-
 nitiones arcis subjectas expugnat . Qua suorum clade mo-
 ti , qui in arce erant , continuo deditionem fecere . Mel-
 laria capta , hostis sub ipsum occasum solis in ulteriore
 Padi ripa conspectus , Veneto subitam trepidationem in-
 jecit : continuo itaque captis armis , ad flumen est concur-
 sum . Paucitate illorum animadversa , tumultus ille su-
 bito resedit , cognitumque inde est , Fædericum Urbi-
 natem adesse , Hostiliam Pado trajecturum , ut inde Me-
 dio-